

convenire coram dominio Tergesti, si talis persona esset subiecta de iure ad respondendum coram dominio Tergesti, citari debeat per litteras domini Tergesti per tempus competens in discretionem domini, secundum distantiam loci in quo habitaret, quod comparere debeat coram dominio ad respondendum in iure tali et ¹⁾ tali de causa, quibus litteris in libro comunis registratis et repertis, et habita fide de presentatione facta per litteras vel nuntium ad hoc iuratum, credatur et stetur, et si contumax fuerit, ²⁾ contra ipsam procedatur, prout procederetur si bis citata et tertio cridata in civitate Tergesti secundum formam statuti esset.

Cap. III. Rubrica de personis citatis non conparentibus et de contumacia ipsarum.

Cum persona citata et cridata, ut in proximo precedenti statuto continetur, non comparuerit, si actor ad petitionem cuius fuerit citata et cridata comparuerit coram dominio Tergesti, cum dictis citationibus et crida in publicam formam scriptis infra unum mensem sequentem proximum post // dictam cridam, et ostendiderit aliquod instrumentum preceptum vel scripturam manu propria rei citati scriptam super ipsam personam citatam, et sacramento dixerit se iuste habere debere rem contentam vel partem in dictis instrumentis preceptis vel scripturis, tunc potestas Tergesti eidem actori, sic conparenti iuranti et petenti, dare debeat intromissionem bonorum expeditorum ipsius persone citate et cridate et obligate secundum tenorem instrumenti precepti vel scripture, in quo vel quibus esset dicta talis persona obligata, et licentiam vendendi ipsa bona ad extimariam secundum formam statutorum Tergesti.

¶ Et si talis actor contra citatum non ostenderit instrumenta precepta vel scripturam, unum vel plura, in quibus appareret dictum reum sive citatum sibi fore obligatum, tunc ei intromissio bonorum ipsius talis citati non detur, nisi primo probaverit per instrumenta vel testes qualiter persona citata sibi

¹⁾ *tali et* aggiunta marginale. ²⁾ Aggiunta d'altra mano.